



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De  
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 224**

De martyrio Iacobi fratris Ioha[n]nis. Cap. XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29805**

## RERVM MEMO. LIB. II.

sum. Hic ergo à Caio multis malorum cladibus ex-  
cruciatus, tandem propria manu se transuerberans,  
damnat in mortem.

### EX HISTORIIS GRAECO

rum de fame dira prophetata. Cap. XV.

**I**n terea Caius finem viuendi facit post quatuor annos, nec integros. Claudius succedit, sub quo dira fames fit quam prophetauit Agabus. Tunc fratres Antiochiae, p viribus suis sanctis habitibus in Hierusalem necessaria transmittunt per Paulum & Barnabam in ministerium sanctorum destinatos.

### DE HERODE MINORE, QVI

filius Aristobulifilij magni Herodis fuit. Cap. XVI.

**S**Vb hoc tempore Agrippa cognomento Herodis, totius Iudææ regnum obtinet. Hunc Lucas in Actibus apostolorum Herodem nominat, Iosephus Agrippam. Hic inquam de crudelitate patrui plurimum retinēs, persequitur apostolos, Petrum incarcerat, & occidit Iacobū fratrem Iohannis gladio.

### CLEMENS ALEXANDRI-

nus de morte Iacobifratris Iohānis.

Caput. XVII.

**D**E cuius passione, vt aliquid reuoluamus, dicitur, quod cum à quodam apparitor oblatus esset Herodi ad martyrium, etiam ipse, qui obtulerat pœnitentia ductus, motus est, & confessus est se esse Christianum. Tunc ambo pariter ducti sunt ad supplicium. Et cum ducerentur, rogauit Iacobum in via dari sibi remissionem. At ille parumper deliberās,

B

## HAYMO DE CHRISTIA.

pax tibi, inquit, & oscularus est eum, & ita ambo capite plexi sunt. Sed adest continuo vindex dei dextrain præfatum Herodem.

## DE VINDICTA DEI IN HE-

rodem, Iosephus. Cap. XVIII.

**N**Am cum postmodum apud Cæsaream in honorem Cæsaris spectacula faceret, arrogansissime induitus ueste mirabiliter auro & argento contexta, à populis stupentibus ex metalli radian-  
tis fulgore, deus subito appellatur, atq; vt fiat propiti-  
us exoratur. Sed quia appellationem & fastum non  
repressit, mox percussus ab angelo, & incredibili do-  
lore ventris & inflatiōe correptus, respiciens ad ami-  
cos: En ego, inquit, deus vester, ecce percellor confe-  
stim, & detrahor è vita.

## LVCAS IN ACTIBVS APO- stolorum. Cap. XIX.

**D**Einde scatēs vermibus, expirauit, agens septimū regni sui annum, quatuor sub Caligula, tres reli-  
quos sub Claudio.

## DE SIMONE MAGO.

Caput XX.

**S**Vb hoc tempore quidam Simon Samaritanus, caput totius prauitatis, & principium totius heresis, sub Claudio Cæsare magicis artib⁹, & ope dæmonum subleuatus, in vrbe Roma deus decen-  
titur, & simulacri portatur honore, collocati inter duos pontes fluminis Tiberis, habēs etiam titulum Latinis verbis, Simoni deo sancto. Sed non diu per-  
manet, fraude diuinitus detecta.